

Ad Robertum Bellarminum Cardinalem e Societate Jesu,
Auctoris Praefatio.

Non est apud me dubium, eximie et humanissime Cardinalis, quin si quis in haec inciderit ex rigidis rerum aestimatoribus et criticis, miretur, accuset, ipse quoque fortasse cum aliis, quod in tanta copia nostrorum utriusque ordinis procerum, cum quibus commune coelum, major necessitudo, unde certior spes gratiae amplioris, tuum potissimum nomen delegerim, quod in fronte, ut sit, nostris in sacros libros lucubrationibus adscriberem. A quo humanitatis jure postulamus, ut non prius nostrum consilium improbet, quam quae subjicio attente cognoverit. At primum profiteor nihil hoc obsequio, quale illud est, à te, aut per te ab alio cupere. Intra conchulam nostram cochleae ad instar, humoris, quod satis est, suppetit, ne externo subsidio, ambitu, donis opus habeam. Queastus magnus, pietas cum sufficientia, hoc est, sua sorte esse contentum, id est. Non tuum illustrare nomen animus erat: quod quidam, cymbalum mundi ex eo dictus olim pollicebatur simili officio. Superbum id esset. Scriptis libris quam purpura illustrior aliena cujusquam face non eges. Quod erat equius, tuo splendore nostras tenebras depellere, ne id quidem satage. Solis ad instar meridiano fulgore stellulas, si quae in nobis essent, nisi id agerem, obscurarem potius. Ac ne quod nihilominus miretur, patrocinium nostro labori flagito. Promptum id, et vulgare, neque ultra verba proventus. Memoria equidem superioris temporis tantisper oblectare animum volebam (veniam hanc seni dato) cum Romae tu quidem post obitum avunculi tui Marcelli Pont. Max. opt. aetatis, sed et artium liberalium impigro pede prima spatia metiebaris Parra praeceptore tuo, amico nostro, et aequali. Ego scholas Theologicas explicabam, immatura quamvis aetate, neque eruditione firma. Ita res nostrae erant. In Italia nullus nostri ordinis, qui eam provinciam sustineret. Nunc innumeri, ut audio, et credo libenter: sic tempora commutantur. Collegae tamen in ea professione tunc erant Emanuel, et Ledesmius, quales, et quanti viri

/ ingenio, eruditione, et modestia. In Philosophia Toletus, qui eruditio-
nis ergo Theologicae postea donatus est purpura. Pereira eleganti pro-
rsus ingenio. Accessit Acosta nihilo aliis inferior. Artem oratoriam
Perpinianus tradebat, ex cujus ore melle dulcior fluebat oratio, elo-
5 quentiae laude cum primis nostrae aetatis comparandus, neque antiquis
absimilis. Mathesim Clavius ex suis libris satis notus, et nobilis. He-
braicas litteras Baptista Romanus inter suae gentis spinas rosa odo-
rata, et suavis moribus magis quam facie. Graecas Stephanus domo Va-
lentinus. Eorum et temporum, et virorum saepe recordatio recurrit, ea-
10 que reficitur animus. Sed et eorum adolescentam, qui supra ducentos
ex variis nationibus, una nobiscum vivebant, subit animum cum volupta-
te cogitatio. In eo numero Galliardi tres, totidem Sardi: quibus se
quartum postea adjunxit eorum pater nobilis in Sicilia medicus. Lucas
Pinellus, Jacobus Crucius, Bernardinus Castorius, alii quorum nomina
15 exciderunt, haeret animo virtus. Sed certe Ludovicum Odescalcum ip-
sis gratiarum divinis manibus factum forma, moribus, ingenio,

Eximet è nostro pectore nulla dies.

Rector Collegii Sebastianus Romanus prudens juxta, et modestus. Ne-
que te Jacobe Paeci ^{Tang} dubium ingenio, an gratia major, silentio involvo,
20 meorum quondam in litteris prime sodalium, mihi prae caeteris chare.
Non Organtinum non ita pridem in Japonia post immensos labores extinc-
tum. Non Maldonatum, quamvis exiguo tempore in Romanorum professorum
numero; sed collega deinde noster Lutetiae, nostrae nationis, et ordi-
nis decus. In tanto numero nulli redditus erant, nulla vectigalia.
25 Miraculi instar tot tunc juvenes ali potuisse. Victus proinde fruga-
lis erat, et tenuis. Docendi labor improbus, caelum nobis praesertim
externis grave. Ita fractae in limine vires nostrae sunt. Tredecim
tamen annis in Italia, Sicilia, et Gallia confectis, in Hispaniam ne-
cessario redii, si nativo coelo melius haberem. Neque fefellit spes.
30 Recreata tantisper valetudine voti compos inter varia onera à nostris
ab externis imposita, quidquid laboris poteram impendere, quidquid otii
nactus eram, ad scribendum contuli, quae inter vos collegeram, ut nos-

/ nactus eram, ad scribendum contuli, quae inter vos collegeram, ut nostris participarem, existimans multo esse praeclarius publice prodesse, posteritati consulere, quam se ignaviae dare, ludicris, aut privatis actionibus tempus, et vitam consumere. Itaque historiam de rebus Hispaniae Latina lingua triginta libris confeci, quo ornamento carebat gens nostra, non sine externo convitio. Eandem deinde, sed auctam multorum victus importunitate vulgari lingua rudioribus dedi. De ponderibus, et mensuris libellum evulgavi. De Rege, et Regis institutione libros tres. Postremo de Jacobo Apostolo. De editione vulgata. De
5 spectaculis. De moneta. De morte Christi. De annis Arabum. De morte, et immortalitate, de singulis argumentis disputationes singulas uno volumine sum complexus. Malo fuit peculatus, qui erant eo tempore in nostra gente frequentes, liberius fortasse, quam opus fuit, et tutum, stylo accusasse. Sed sedata tamen ea tempestate, et turbati maris fl
15 fluctibus in malaciam compositis, extremam aetatem quasi post liminio ad veterem professionem retuli. Sacros libros illustrandi curam suscepi notis quibusdam, et minutis luminibus. Rem prorsus magnam, supra vires conatum, si libros singulos explicare ardua res est, omnes aggredi quantum? Non conquievi tamen priusquam saxum hoc, quod multo
20 tempore versavi, ad montis cacumen perductum tandem constitisset ingenti utique labore, magnis sudoribus. Cupiebam quidem libros omnes sacros tentare, utrumque Testamentum amplecti; sed in medio cursu vires debilitatae prohibuerunt. In senibus ingenium hebescit, labascit memoria, vires corporis situ quodam minuuntur, et cadunt. Sic in veteri Testamento restiti, nec ultra tunc quidem conabar. Nostri hactenus consilii causas, sed et vitae partem explicui, otii, et secessus Hispanici rationem reddidi. Addam tamen, me in hac vigilia brevitatem consecratum, ne opus immensum scilicet cresceret, si varias aliorum
25 explicationes referrem, et de omnibus disceptarem. Et alioqui in locis singulis quae mens auctoris fuerit, quid verba sacra significant, paucis explicare, quid vetat? Laudem conficiendi in divinos libros latissima commentaria aliis relinquit

/ tissima commentaria, aliis relinquimus: quorum nostra aetate, et in nostro ordine magnus est numerus. Neque me cum illis compono memor nostrae tenuitatis. Nos ex agello nostro tenues florum manipulos damus: ditiores offerent integra viridaria. Editionem vulgatam sacrorum librorum, quam Ecclesia catholica probat, et sequitur, ut par est, a capite ad calcem tuemur, sed cum judicio, minuta non semper, neque magnopere aliquando curantes, potiora conjectamur. Atque ita, ut nullus sit locus cum Judaeis, aut haereticis controversus, aut etiam fraude corruptus, in quo non ostendatur nostram interpretationem illorum fabulis multo esse synceriores. Idque ex fontibus, in quibus aliquem usum habebamus. Novam in sacros libros diligentiam non sequimur aliquando ab iis ipsis, qui eos castigarunt, concessa prorsus facultate. Gothicis nostrorum libris antiquissimis adjuti sumus: in quibus magis sincera sacrorum librorum versio ab Hieronymo facta conservatur argumento praeter alia, ejus etiam in psalmos interpretationem iis libris contineri, pro qua nostri codices Septuaginta interpretum versionem in illos mutarunt. Ex Hebraeorum libris flores non paucos selegimus levi manu metu noxii sub viridi herba serpentis. Benignum est tamen confiteri per quos profeceris. Summa, ex Hebraicis et Graecis commentariis vice Latina explicare tentavi; suscepti laboris is fuit scopus, ea ratio. Cum proventu sudatum sit in hoc stadio, et palaestra, in inani conatu, nobis dijudicare fas non est. Sua cuique placent, sat scio. deformes liberi parentibus pulchri et venusti videntur. Naevos non videt amor quippe luminibus captus. Charitas operit peccata, ut Christi Apostolus ait. Vobis censuram permittimus. Ea vero praecipua causa in vestro nomine hoc opus emittendi. Melior cujusque rei finis est, quam principium, hoc est posteriores curae prudentiores. Sine provocationis suspicione tamen, quod displicuerit, notato. Si modo graviores curae permiserint, nostraque cognoscendi voluntas fuerit et amor. Quo severior censura, eo gratia amplior.